IACOBI SA-DOLETI, EPISCO-PI CARPENTORA-CTIS, S. R. E. CARDINA-LIS,

De obitu optimi, ac præstantißimi Cardinalis, Fœderici Fregosij,

HOMILIA.

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM, 1541.

IACOBI SADOLETI EPISCOPI CARPENTORACTIS, AC S. R. E. Cardinalis, de obitu optimi, ac praestantissimi Cardinalis Foederici Fregosij, Homilia.

AVDITA uobis sunt, Fratres Charissimi, ea, quæ his recentibus nuncijs, ipso rumore famæ luctum atq; mœstitiam omnibus bonis denunciante, de morte Fœderici Fregosij, Eugubinorum ciuitatis Episcopi, S. R. E. Cardinalis, hoc quidem etiam ipso honore collegij, sed alijs maioribus & iustioribus de causis mihi cõiunctissimi, huc allata sunt: & quemadmodum ille uir, cuius in omni præstantissimarum uirtutum genere, atque laude, paucos omnino similes nostra aspexit ætas, ui & uehemẽtia morbi celeriter ablatus, spem omnium bonorum, quæ ob summam eius uirtutem & sapientiam excitata erat, ut magnum in eo præsidium rebus Christianis constitutum esse putaretur, subito fractam, debilitatámque reliquit. Audistis, inquam, hæc omnia, & dolore animi (sic enim oculis uultuq;

præ uobis fertis) proſecuti ea eſtis. Ac nimirum in tanto Chriſtiani nominis detrimento, tantaq́ꝫ Reip. iactura omnes, qui ſenſum humanitatis habeant, Chriſtianæq́ue religionis aliquo amore tangantur, angi, & dolere nõ mediocriter, neceſſe eſt. Ego uerò, qui duplici ex hoc nuncio uulnere ſum percuſſus, quiq́ꝫ maximas habeo & publicè & priuatim lugendi, atque mœrendi cauſas, quòd & Reipub. damno, quæ mihi omnium rerum eſt chariſsima, uehemẽter commoueor, & proprias meas commoditates, iucunditatesq́ꝫ, quibus ex huius uiri amicitia multifariam perfruebar, amiſſas deſidero, quo tandem animo debeo eſſe? Eo ſcilicet, quo ſunt hi, qui res, quas habuerunt gratiſsimas, cùm amiſerunt, eas quas etiã nunc habẽt, non ingratas modò, uerùm odioſas etiã, ac moleſtas ab ſeſe nequeunt eijcere. Nam cùm mihi antea grauis hæc uita eſſe uideretur, quám urgere iam cœperat, & obſidebat ſenectus, uiresq́ꝫ eam deficiebant cùm animi, tum corporis, tum autem damna, & pericula Reip. habebant ſolicitam: unum hoc manebat adhuc ſolatium, quod reliquis curis meis, animiq́ꝫ ſollicitudinibus erat leuamẽto, quòd aliquot amiciſsimorum, eorundemq́ꝫ honoratiſsimorum hominum & dignitate, & beneuolentia ipſe me conſolabar, quòd habebam quibus cum cõmunicarẽ, ad quos referrem, quorum fide, amore, auctoritate, gratia, in meis actionibus omnibus ſubleuarer, & niterer, tam his quæ ad me ipſum, quàm

ijs quæ ad cogitationem de Rep. pertinerent: quandoquidem eramus in ea sensibus planè uoluntatibusq; coniuncti. Nunc cùm maneant eadem & senectutis & temporũ uitia, rebusq; in deterius quotidie prolabentibus nihil iam ostendatur alicunde bonæ salutis & auxilij: si hi quoq; præterea accedunt mihi ex amissionibus & interitu familiarissimorum, quotidiani mœrores, eaq; solatia, quæ prius me sustentabant, non solùm nunc deficiunt, sed in maiorem etiam, & acerbiorem mihi conuertuntur dolorem, Quónam me uertam? Quid agam? Quæ res mihi superest in uita, quæ iam solatio, & delectationi esse possit, per quam eam ego traducere, si non iucundè (hoc enim uerborum iampridẽ ex usu & consuetudine nostra sublatum est) at saltem minus miserè tolerabiliterq; possim? Vna ratio est, opinor, (quæ tamen sola plurimum semper ualuit, nec potest unquam nobis benè sentientibus eripi) ut tandem aliquando tot rebus aduersis, tot castigationibus admoniti, spem unicam rerum omnium nostrarum in unius Dei clementia, & bonitate reponamus. Hanc sententiam, & hunc motum animi nostrum ut communicaremus uobiscum, uosq; adhiberemus tum socios doloris nostri, tum consolationis participes (quæ una consolatio ex Deo nobis esse potest) idcirco uos aduocari curauimus, accepturi à uobis mœroris nostri leuationem, impertituri uobis confirmandi animi ex sacris literis doctrinam. Qua in re quidem nobiscum,

& cum humano genere, benignissime egit Deus, qui sua diuina prouidētia sic constituit, ut in tam uarijs fluctibus, & agitationibus hominum uitæ, res aduersæ multorum societate lenirentur, secundæ autem & ex sententia fluentes, eadem societate etiam augerentur. Sunt igitur mihi ea uobis commemoranda, quæ etsi aliàs nonnunquam acta uobiscum, & à me uobis demonstrata sunt, nouis tamen quotidie admonitionibus, tantorum præsertim uirorum funeribus animaduertendis, & repetuntur utiliter, & in memoriam rediguntur, pertinentque sola ad ueram salutem, & felicitatem uestram: si non auribus modò, uerùm etiam animis uos ea percipere, & comprehendere studeatis: ut uidelicet omissis, & neglectis illecebris huius mūdi, quę nihil aliud sunt, quàm, ut uosipsimet intelligere potestis, frustratio uitæ, regnum mortis, opinionum uanitas, inutile corporum studium, si cupitis esse salui, spes & rationes uitæ uestras in unum Deum æternum & omnipotentem, & in eius filium IESVM Christum uniuersas conferatis. Hæc, fratres, summa est moniti & consilij nostri: huc omnis nostra tendit, nititurq́; cohortatio, ut quod non optimum modò factu, sed solùm factu bonum est: id & ipsi nobis, quoad possumus, capiamus, & uobis capiendum consulamus: & tamen pro illa sancta necessitudine, quæ mihi uobiscum est, proq́; charitate paterna, qua erga uos sumus affecti, ita uobis cupimus proficere hoc consi-

lium, ſicut & nobis. Non enim id, etſi uoce noſtra apud uos prolatum eſt, ex me tamen uobis datum eſt: ſed utriſque nobis ab ipſo Deo datur. Ait enim Spiritus ſanctus: Conijce in Domino cogitatum tuum, & ipſe te enutriet. Quid ergo mundus, non'ne nos nutrit? dat ille quidem nobis de ſuo cibaria: uerùm illæ eſcæ uenenatę ſunt, ſumuntur enim ad perniciem & mortē, niſi quotidiano antidoto nos ipſos muniamus, quod antidotum CHRISTVS eſt. At Dei ſermo ita nos nutrit, ut uiuificet: ita paſcit, ut delectet: ita conſeruat, ut immortales efficiat. Quis eſt autem iſte Dei ſermo? Audite fratres, & cognoſcite Spiritus ſancti uerba, penitusq́; illa ueſtris mētibus, animisq́; mandate: Ne diligatis mundum, inquit, neque ea quæ in mundo ſunt: ſi quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo. Quomodo charitas? tanta'ne eſt alienatio, tanta diſtractio Deo atque mundo, ut utrum habere uelis, alterum deſerere omnino neceſſe ſit, & utri ſis amicus, cum altero inimicitias neceſſario profiteare? Eſt illa planè fratres: quod & alio loco uoce Domini eſt teſtatum, Non poſſe nos ſimul & Deo inſeruire, & mundo. Nam illud MAMMONAE uerbum, quod ibidem in Euangelio poſitum eſt, aptè admodum complectitur Syrorum lingua, quid ſit de hoc mundo quod fugere debeamus. Quandoquidem MVNDI uocabulum uarium ipſum, & multiplex, non ſemper eodem modò in ſcriptura ſancta accipitur. Mundus

enim

enim hic, qui oculis ſubiectus eſt, & tantorum corporum, totq; rerum aceruis, & coagmētatione compoſitus, quoniam à Deo factus eſt, non ſolùm bonus ipſe eſt, ſed ex ſeſe nobis præbet etiam facultatem (ſi ſana & ſobria mente illum pertractemus) ex operibus in eo à Deo factis, ad ipſum architectum & principem tanti operis noſcēdum, colendum, uenerandumq; accedendi. Neq; uerò aliud quæcunq; extant in eo (quę ab eodem Deo effecta, omnia bona ſunt: Vidit enim Deus omnia quæ fecerat, & erant ualde bona) non aliud, inquam, cuncta nobis annunciant, niſi uim, & uirtutem, & maieſtatē ſummi Dei, ſiue quæ cœlum ipſum diſtinguunt, ſiderum & luminum inſignia & ornamenta, ſiue quę æthere, quæ mari, quę terra continentur. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentū. Atq; hoc modo Mundus acceptus, non modo non eſt fugiendus à nobis, uerùm etiam expetendus: quo uidelicet gradus ex illo nobis faciamus, quibus ad indagationem, & quoad licet, ad adeptionem ſummi in Deo boni poſsimus aſcendere. Qua quidem ratione ſcabellum pedum Domini Terra in ſcripturis, Cœlum autem eiuſdem domus, habitatioq; uocatur. Sed ſi idem Mundus, qui gradus in cœlum nobis & uia, quiq; peregrinātibus diuerſorium eſſe debet, pro peculiari patria & ſtatione noſtra à nobis accipiatur: in eoq;, tanquam domicilio proprio, ſedes & fortunas, & præſidia omnia uitæ conſtituamus:

mus: tum hæc illa est mundi dilectio, quæ à Deo est auersio, quæ coire, & coniungi cum charitate Dei non potest. Quid enim iniustius, magis'ue potest esse contumeliosum erga Deum, quàm ipsum illum uerum Dominum & patrem nostrum relinquere, falsoq; patri & domino studia nostra Mundo nos adijcere? Hæc est Mundi amicitia, quam alius Apostolus apertè inimicitiam esse aduersus Deum pronunciat. Etenim quid minus ferri, aut quid potest iniuriosius cogitari, quàm conseruum nostrum præferri à nobis cõmuni domino, & eum quidem nobis nec autoritate, nec gratia apud dominum ipsum parem, ut & in eligendo dementes, & in deponenda Dei beneficiorum memoria ingrati, & in uiolanda gloria diuinitatis impij iudicemur? Ipse enim Deus is est, qui nos creauit, qui genuit, qui in faciẽ nostrã spiraculum uitæ inspirauit: ex quo factus est Homo in animam uiuentem. Neq; hoc solùm, sed honorẽ etiam habens nobis ante ulla merita, huic inferiori mundo, terræ, mari, stirpibus, animantibusq; præfecit: uoluitq; nos non exiguæ partis operum suorum, tanquam alteros quodã modo ad imaginem ipsius effectos Deos, rectores & gubernatores existere. Ac ne hîc quidem ipsius diuina beneficentia constitit: uerum postea quoque peccato primi parentis repudiatos, & reiectos, & ad offensionẽ ipsius, nostrũq; interitum cõmuniter nascentes, secundum magnitudinem bonitatis suæ miseratus, misso in terras filio

ſuo unico, eoq́ oblato pro nobis in mortem & crucem, in ſuam, maiorem etiam quàm antea, per eundem filium ſuum gratiam reſtituit, fratresq́ domini IESV Chriſti, & ſibi filios nos uoluit nominari, nec ullum officium unquam optimi parentis erga nos prætermiſit. Nos'ne ergo tantis à Deo affecti beneficijs, tot honoribus ornati, in tãta ſpe cœleſtis gloriæ, immortalitatisq́ locati, atque adeo in eam, cum iam inde excidiſſemus, repoſiti, omnium bonorum noſtrorum autorem Deum relinquemus? & ad noſtrorum malorum autorem omnium Mundum confugiemus? quem mundum cùm Dominus Mammonam uocat, (peregrino ille quidem uocabulo, ſed ad exprimendum quod uolebat idoneo) non hanc mundi fabricam, nec corpora, quæ in ea ſunt, (quæ, ut diximus, inſtrumenta ſunt nobis, ſi rite accipiamus, ad inquirendum & inueſtigandũ Deum) ſed ea quæ uerbum illud ſignificat, Diuitias, Delitias, Suauitates mundi uitandas eſſe nobis denotauit: quòd ſimul eis & Deo non poſsit ab hominibus inſeruiri. Hic ergo ille eſt Mundus, quem qui diligit (ut ad Apoſtoli uerba reuertamur) non eſt charitas patris in illo: nõ poteſt enim amare patrẽ Deum, qui parenti alteri ſuam beneuolentiam addixit: & qui bonorum mundi cupit eſſe hæres, is certe cœleſtem Dei hereditatem non expectat. Quis enim non intelligat utriuſque unà, & Dei, & mundi nos hæredes eſſe non poſſe? Sed quod dominus IESVS uno uer

bo, id

bo, id Apoſtolus Ioannes tribus ſentẽtijs explicauit: pergit enim quaſi rationem ſui dicti reddens, Quoniam, inquit, omne quod eſt in mundo, cõcupiſcentia carnis, & cõcupiſcentia oculorum, & oſtẽtatio uitę, nõ eſt ex patre, ſed ex mũdo eſt: & mũdus præterit, & cõcupiſcentia eius: qui autem facit uoluntatẽ Dei, manet inæternũ. Habetis, fratres, oraculũ Spiritus ſancti ex ſcripturis, non obſcurũ neque ambiguum, ut aliquãdo eſſe nonnulla ſolent: ſed apertum, & patens, quodq́ tardis etiam mẽtibus, & rudibus facile ſit perceptu. quanquam illud cautè & ſapienter ab Apoſtolo poſitũ eſt, qui non dixit, Omne quod in mundo ſit, ex patre Deo non eſſe. Agnoſcimus enim & mundum totum, & cuncta quæ in eo ſunt, eſſe ex Deo: ſed omne quod huiuſmodi eſt, ut horum trium quodlibet ſit, triaq́ adeo iſta nequaquã eſſe ex Deo, ideoq́ illius & maieſtati & uoluntati eſſe contraria: ut ſi cum Deo iungi, & copulari uelimus, ab horum trium labe, & tanquam peſtis contagione, recedere debeamus. Non enim inter diſcrepantes, & ſtudijs diuerſis, ac repugnãtibus deditos, hærere amor poteſt: ſed conformatio, ſed conſenſio, ſed ſimilitudo facit beneuolẽtiam: eadem conflat amicitiam, quam ſequitur congreſſus & familiaritatis iucunditas, hoc maior, quo diuturnior: & iccirco apud Deum maxima, quoniam æterna eſt. Atqui ò admirabilem, incredibilem, ineffabilem clementiam, atque humanitatẽ: nos'ne, qui deterius etiam quid, quàm uermes,

in tuo cõspectu sumus, qui nulla nostra uirtute operaq; ualemus, quibus nihil adest sine te, quo possimus in rerum natura commode niti: Nos, inquam, te Deus summe, & omnipotẽs, non Regem, non Imperatorem, non Dominũ, non Arbitrum nostrum uitæ atque necis, & quidem sine prouocatione arbitrum, sed Amicum, sed Familiarẽ, sed Patrem audemus appellare? Quis hanc nobis libertatẽ, quis hãc fiduciã dedit? Tu idem, ò cœlestis, & clemens pater, qui per filij tui humanam carnem, & pro nobis mortem in illa carne susceptam effecisti, ut ipsius quidem fratres, tui autem filij & nominaremur, & essemus: & qui in seruorum (quamuis inutilium) numero si haberemur, maximo id honori nobis esse iudicaremus: tua gratia, tua beneficẽtia, tua inaudita quadã bonitate in filios tibi sumus adoptati. Hæc, fratres, sæpe uobis dicta, & demõstrata sunt, neq; ea uos aliter se habere intelligitis: fatemini enim, & assentitis, & in uultibus uestris uestrorũ cordium fides permotioq; elucet: & tamen, nescio quo pacto, ubi hîc quę uera sunt, nutu, assensuq; uestro comprobauistis, postea egressi, & ad consueta domi, ac foris negocia reuertentes, tanquam somniorum imagines, & simulacra negligitis. Quid igitur? num non eadem ueritas & in templo Dei, & in foro est? an cor uestrum lapideum potius est, ut in eo iacta semina diuini uerbi efflorescant modo paulisper, post autem continuo, quoniam sine radicibus sunt, exarescãt? Videte

quæso,

quæso, & cognoscite, quoniam hic quod cognouistis autore Deo, & eodem teste uestra assensione firmauistis, id solum uerum ratumq́ꝫ est, cætera autem falsa atque inania: & quidem inania & falsa ad salutem, utinam non uera ad perniciem, atque mortem. Neque mihi hîc dixerit quispiam, Quid? nonne negociari? nõne laborare oportet, non curare rem priuatã, Rempub. Ego ista uobis non interdico, uel potius ipse non interdicit Deus: negotiari sanè æquum est, sed sine auaritia: laborare rectum, sed absq́ꝫ ambitione: ita gerere Remp. ut illi priuatum commodum non anteponas: ita priuatam, ut tuo primùm patris familiâs officio, deinde eorũ, qui tuæ fidei sunt crediti, utilitati consulas. Sunt ista honesta, & æqua, & quę à uiris bonis, hanc sectam uitę profitẽtibus, sine repræhensione culpæ prætermitti non possunt. Sed quod iam non ciuilis, sed Christianæ prudentiæ & bonitatis est, non est in his finis ratio, nec designatio uitæ nostræ constituenda: Cœlum enim nobis, non terra, patria est: hîc peregrinamur, hîc hospites sumus. Adhibeamus ergo ista, quæ suppeditat mundus, ut tanquam longam uiam ambulantibus ad faciendum iter sint nobis adiumento: non ut suauitate sua, ueluti Syrenarum cantu, nos detineant. Atqui has ipsas Syrenas finxit antiquitas, quos flexissent cantibus, & ad sese illexissent, solitas ijs inferre mortem: quam, si dedamus aures symphonijs uoluptatum, & si sensus nostros amore huius mũdi illaque-

ari ſinamus, multo nobis grauiorem atque acerbiorem mundus affert. Illæ enim tantùm corpora eorum, quos induxerant, perimebãt: Mundus autem & corpus & animam in idem exitium rapit. Peragremus eum igitur ut uiatores, & exteri, non ut ciues, & incolæ in eo nos ſtatuamus. Quod quemadmodum agere, quoq́ pacto iter uitæ cõficere oporteat, plena ſunt nobis præceptis ſacrarum uolumina literarũ, quorum illud ex Paulo documentorum optimum eſt, Vt omnibus noſtris cogitatis, dictis, factis, interſit ſemper CHRISTVS. ille unus uera eſt regula, uera doctrina, uerißimum exemplũ uitæ cum pietate & cum iuſtitia degendæ: qui peccatum non fecit, nec eſt repertus in ore eius dolus. Quanquam nos à peccatis puri eſſe fortaſſe non poſſumus, à dolo certè, Deo iuuante, poſsumus. Quid enim aliud dolus eſt, quàm uoluntas conſcia ſibi ipſa quid agat, & quid moliatur; proximum autem in fraudem & in errorem ut inducat, nitens? quo nihil eſt ab hominis natura magis remotũ. Etenim conſule primùm, & prouide ſi potes, quo non noceas tibi: hoc ſi difficilius eſt, & ſi te interdũ cupiditates tuæ agũt tranſuerſum, & corripiũt: quæ eſt iſta iniquitas (quæ uoluntaria certè eſt) ut uelis obeſſe alteri? Interſit igitur CHRISTVS in noſtris conſilijs, atque factis, ut ab eo normã, atq́ exemplar rectè uiuẽdi in actiones omnis noſtras trãsferamus. Sicut enim ſol prælucẽs atque imminẽs, manus, pedes, oculosq́ noſtros ad

efficí

efficienda opera, quæ ſuſcipimus, & quæ molimur, dirigit, quæ ſine eo cuncta cæcitas eſſent, atque erratio: ſic CHRISTVS, ſol iuſtitiæ, ſi actibus noſtris, uitæq́ꝫ conſilijs interuenerit, in recta ſemper, & uera, & honeſta ratione conſiſtemus: ab eo enim humilitatem, & patientiam, & ſtudium omnibus benigne faciendi, & imprimis ſummam illam, & conſtãtem, & in perpetuum nulla interpellatione impeditam in Deum patrem obedientiam, fidemq́ꝫ diſcemus: quam ſi nequiuerimus totam referre, imitabimur ex aliqua parte tamen, & fraternam noſtram cognationem cum CHRISTO ſimilitudine quadã morũ cõprobabimus, quæ eadem Deum patrem in nobis repræſentauit ſimilitudo. Ad quod nos Apoſtolus cohortatur, Eſtote fratres, inquiẽs, imitatores Dei, ſicut filij dilecti. Quoniam enim nullum certius argumentum eſt parentis & generis, quàm ſimilitudo ſtudiorum & uolũtatum: ideo ſi filij Dei ſumus, illius bonitatem in nobis, in alios beneficẽtiam, qua poſſumus, imitemur. Non poſſumus autẽ illius imitatores eſſe, ſi ſecundũ carnem cõcupiſcamus. Quid ita uerò? Nempe quia Deus uita eſt, ita habens uitam in ſemetipſo, ut aliũde eam nõ accipiat; ſed ipſe fons, & origo uitæ ſit cæteris omnibus. Cùm igitur uita ſit Deus, qui mortui ſunt, hi nequeũt iam profecto cum Deo conuenire: quomodo enim conueniant? aut quid eſt tam contrarium inter ſe, tam repugnans, quàm uita & mors? Si ergo Deus uita eſt, &

quidem

quidem natura ſua, atque eſſentia, uita: cõcupiſcentia autem carnis eſt mors, qui concupiſcunt ſecundum carnẽ, placere Deo non poſſunt. Quod autem cõcupiſcentia carnis mors ſit, poſſunt quidem permulta dici, ſed erimus contenti beati Pauli teſtimonio, quod ita perſpicuum, apertumq́ eſt ut interpretatione non egeat. Ille enim ad Romanos ſcribens, Qui in carne ſunt, inquit, ea ſtudent quæ ſunt carnis: qui in ſpiritu, ea quæ ſunt ſpiritus. Porrò ſtudiũ & ſapientia carnis, mors eſt: ſtudium autem ſpiritus, uita, & pax. Nam ſapientia, inquit, carnis inimicitia eſt in Deum: ſiquidem legi Dei non ſubeſt, ac ne poteſt quidem ſubeſſe. ideo qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Audiſtis fratres teſtimonium Spiritus ſancti, & de carnis ſtudio quid is proferat, intellexiſtis: quanquam non uno in loco, ſed in aliјs compluribus idem eodem modo teſtimonium ueritati datum eſt, Carnalia uidelicet omnia non mortalia ſolum ſed mortifera etiam eſſe, uſque eo quidem, ut corrumpendo corpus, cuius facilis eſt diſſolutio, corrũpant etiam animũ, qui debuit eſſe penes Deum incorruptus. At quænam iſta opera carnis? Paulus illa enumerat ad Galatas loquẽs, Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt, Adulterium, Scortatio, Impuritas, Petulãtia, Idololatria, Veneficiũ, Inimicitia, Lis, Obtrectationes, Iracũdiæ, Contẽtiones, Seditiones, Sectæ, Inuidiæ, Cædes, Ebrietates, Comeſſationes, & quæ ſimilia his, quæ prædico uobis, ſicut & ante

dixi,

dixi, quod qui talia perpetrant, regnum Dei hære-ditate non consequẽtur. Non enim, fratres, talibus ullum consortiũ est aut cõmunitas cũ patre Deo: in his enim peruersitas, & cõfusio inest, & plena praui-tatis, perfidiæ, iniquitatis, temeritatisq́ʒ hominũ uo-luntas, sæpe eadem accensa odio contra proximum, & quicquid mali atque exitij queat, illi meditans. Quomodo igitur isti charitatem Dei in se ipsi habe-bunt? Si enim, ut Apostolus ait, proximum suum quem uident non diligũt, quomodo diligent Deum patrem, quem non uident? Et sane omnia sunt hu-iusmodi à lege, & bono more, & recto ordine peni-tus aliena, quo ordine maxime delectatur Deus. In his denique habitat & regnum suum omne obtinet mors, qua nihil eidem Deo inimicius esse potest. Habetis propter quam causam in his, qui concupi-scentiam carnis habent, charitas patris non inest: ea re uidelicet, quia mors & uita nequeunt cohærere, & qui proximum non diligunt, Deum non possunt diligere. Nunc uideamus alterum genus disiunctũ à Deo, quod est concupiscentia oculorum, quæ ipsa quoque Dei societatem & contubernium repudiat, est enim tota leuitatis & inanitatis: nanque uagari oculis, & eorum delectamentis undiq́ʒ capi, trahiq́ʒ in cupiditatẽ omnium quæ pulchra aspexeris, gem-mas, ebur, uestes, uasa, statuas concupiscere, ornatus domi parare magnificos & sumptuosos, ambitione honorum & magistratuum corripi, uelle salutari,

honorari, conſpici, inutile profectò ſtudium, & planè uanitas tota eſt. At Deus ipſe ſumma & abſoluta ueritas: quî ergo poſſunt uanitas & ueritas inter ſe conſociari? nullum eſt commercium, nulla copulatio: Igitur cum hac quoque oculorum concupiſcentia charitas Dei iungi non poteſt, non ſolùm quia amãtur quæ inania ſunt, quem habitum animi quæ uera ſunt & ſolida, nequeunt delectare: ſed etiã quia in tam uolubili, & tam uaga mẽte ſtabilis Dei amor conſiſtere non poteſt. Atque hoc genus ſecundum, minus quidem aliquanto pernicioſum quàm primum, quod concupiſcẽtiam carnis eſſe dicebamus, tota tamẽ ſui mobilitate leuius eſt: omnia enim prorſus, quæ ex hoc genere expetũtur, & uana ſunt ipſa, & totum genus uanitas. Quod ita eſſe, ſi quis forte experimentis non eſt doctus (quanquam omnes qui aliquãtum modo in hac uita ſunt progreſsi, doctos eſſe oportebat) tamen ſi quis errore mentis adhuc ducitur, & in hac inſcitia iactationeq́ uolutatur, ut uana iſta pro ueris ducat, legat is Eccleſiaſten, credat diuinæ ſcripturæ teſtimonio, capiat documentum ab his, qui ſapientiſsimi, & eruditiſsimi habiti, uana hæc omnia, quæ oculis conſpiciuntur, & ad ueritatem uitæ inutilia iudicauerunt: tametſi poteſt unuſquiſque, qui ætate proceſſerit, ex ſeſe ipſo documẽtum capere. Quotus enim quiſque eſt, cui uiro iam facto, quæ in pueritia iucundiſsima uiſa ſunt, eadem nunc placeãt? aut cui ſeni ea, quæ olim uiro? Quid?

non'ne quotidie sententiã omnium ferè rerum commutamus, & quod placuit heri, hodie repudiamus? Quod iccirco euenit, quoniã non est in rebus ipsis, quæ sensibus percipiuntur, ac ne in nobis quidem qui percipimus & sentimus, certa ulla stabilitas, quę ualeat nos in eodem animi statu diutius continere: semper enim aut tempus, aut locus, aut animi corporisq; noua aliqua affectio uariat iudicium: quod de Deo, atque in Deo, tãquam in re una omnium uniformiter & immutabiliter eodem semper modo se se habẽte, uariari non potest, nec semel cognita & percepta de ipso ueritas, nisi per amentiam aut imbecillitatem mentis dimitti: quorum alterum morbi & naturæ uitium esse solet, alterũ argumẽto, nunquam antea planè id fuisse perceptum, quod nunc tam leuiter dimittatur. Ergo hæc quoque pars mundanorum studiorum ingrata Deo, & ab eius dilectione longe remota est. Quid tertia, quæ tota noctis & tenebrarum est, Ostẽtatio uitæ uidelicet, num habere potest consortium aliquod cum Deo? Nihil enimuero minus: ut enim dicit scriptura, Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Quis ergo tenebras cum luce coniunxerit, aut solem cum nocte uiderit bene conueniẽtem? Quid disiunctius, quid alienius, quid insociabilius? Purum est omne quicquid est ex Deo; & simplex, & lucidum, & in omnem partem sibi patens, nullo artificio, nulla adulteratione fucatum. Tu cùm te ostẽtes, & fingas, maioremq;, quàm

ſis, uelis uideri, cum ea te ſimules habere ornamẽta; quæ non habeas, totumq́ fraude, ac mẽdacio te obuoluas, quærasq́ latibula conſcientiæ tuæ, quo circumuenias proximum, falſaq́ ad populum opinione te efferas, hisq́ aut quæſtum, aut honorem artibus aucuperis, aut etiam ipſa per ſe fallacitate delectere, cùm inflatum animum & ſimulatum morem retineas, putes te habere charitatẽ in te patris? Non his ille ſtudijs, non his hominibus, non his moribus delectatur. Ipſe enim Lux eſt, & Veritas, & Vita: hæc autẽ tria, quæ ab Apoſtolo nominatim expreſſa ſunt, Tenebræ, Vanitas, Mors: nulla ut queat eſſe omnino inter tam diſpares naturas beneuolentiæ coniunctio. Quæ cùm ita ſint, fratres chariſsimi, & cùm Solis luce clarius cernatis, unum nobis tutum perfugium eſſe Deum, unam ſapientiam, quæ illum poſcit, unam ueritatem quæ diligit, unam immortalem uitã quæ aſſequitur: Quid eſt, per Deum ipſum æternum, & immortalem, quem totiens iam nominãtes cum pietate inuocamus, perq́ IESVM Chriſtum filium eius Dominum noſtrum, in quem fideliter credimus, & per Spiritũ ſanctum, cuius internis afflatibus excitati, in cœlum oculos animosq́, tanquam ad patriam & cognationem noſtram attollimus, quod uobis in his tribus magnopere expetendũ eſſe uideatur, niſi uos forte mortem & corruptionẽ ueſtram, non immortalitatẽ felicitatemq́ appetitis? Quod ita mori, & quidem ad perpetuam

damnationem mori, si uobis sit propositum, & si uestros id ante oculos præsens offeratur, horreatis, timeatis, refugiatis, ad id per circuitus uiæ & flexiones alias itinerum nihilominus deuenire, nonne uobis est omni ratione fugiendum? Sapientia foris prædicat, in plateis dat uocem suam, clamat in capite compitorum, in foribus portarum urbis profert uerba sua, dicens, Vsque quo paruuli diligitis insipientiam? & stulti quæ uobis sunt noxia cupitis? & dementes odio scientiã habetis? cõuertimini ad correptionem meam. Qui me audierit, habitabit tutò, & sine metu requiescet: intelliget timorem Domini, & scientiam Dei inueniet, qui custodit rectos ad salutem, & simplices corde conseruat. Atqui fratres ne sitis inscij, hæc tria membra mundanæ iniquitatis, quæ modo memorata sunt, arma eadem sunt & instrumenta Diaboli, hoc est rectoris & præsidis tenebrarum mundi huius, per quæ ille nobis trasennas tendiculasq́ apponit, ut illaqueatos & irretitos in suam redigat potestatem, genusq́ Deo dicatum suam prædam efficiat. Ille falsas sæpe obijcit utilitates opum, diuitiarum, agri, pecuniæ, ut spe earum rerum assequendarum correpti, nec fidei, nec humanitatis, nec æquitatis ducamus rationem: ille lenocinijs, blanditijsq́ uoluptatum nos corrumpit: ille ad cupiditatẽ inanis gloriæ nos incitat, rebusq́ tum secundis pertentat, tum aduersis: nullam deniq́ machinam, nullum oppugnandi artificium omittit,

quo nos non & peruertere ſtantes, & fundamento ſtabili nixos, qui eſt CHRISTVS, conuellere inde, labefactaréque conetur: Cui reſiſtamus quæſo fratres, fide erga Deum, & conſtantia animi aduerſus prauas cupiditates armati: ſpes rerum cœleſtiū una eſt, quæ nos paſcere, quæ delectare debeat: illa nobis ſpectanda, ſectandaq́ eſt utilitas, quæ & ueritatem contineat in ſe, & perpetuitatem: Illa gloria quærēda, quæ ſit immortalis. Quæ cuncta Dei unius dona ſunt, eaq́ ab eo petere, expectareq́ debemus. Nam mūdus quidem ſuis muneribus nos decipit, & cùm effecerit, ut eius illecebris inducti, à Deo deſciſcamus, tum omnis illa fallax & perſonata bonorum mundanorum ſpecies ueros uultus ſuos aperit, atq́ monſtrat: tum pro breui utilitate perpetuum damnum, pro inani gloria, uerum & perenne dedecus, pro uoluptatum & ſuauitatum oblectamentis æterna igniū ſupplicia nos inueniſſe cernimus. Eſt quidem locus nonnūquam miſericordiæ apud Deum, dum in hac ſumus uita, ſi nos ueterum noſtrorum malefactorum pœniteat, tanta eius eſt benignitas, tanta placabilitas: ſed & ſępe pœnitendi nulla nobis facultas datur, quòd animus infectus ſæpenumero diuturna conſuetudine delinquendi, & contaminatus totus, aditum ad Deum reperire nullum poteſt: & præterea accidunt præter ſpem multa quotidie in uita, quæ locum conſilijs melioribus non concedunt, ut ſemper parati, ſemper uigiles, ſemper atten-

ti ad

ti aduentum ſponſi expectare in ſacris literis iube-
amur. Hoc qui faciunt, ſerui apud Dominum gra-
tioſi ſunt: quos ille, cùm uenerit, ſecum iubebit ac-
cumbere. Atque ut exemplis quoque hæc illuſtri-
ora faciamus, hic præſens mœror, hæc ſummi uiri
mortui luctuoſa cũctis, & acerba recordatio, non'ne
quantum ſit boni in honeſta, pia, & religioſa uita,
perſpicuè uos docet? Quod ut melius intelligatis,
aliquot hominum potentia & opibus, quoad uixe-
runt, florentiũ (ſi id florere eſt, cum infamia & odio
omnium ferè gentinm honoribus extolli, fortunis
abũdare) exitus quæſo & mortes recordamini, quo-
rum ego neminẽ nominabo, ne mea uox cuiquam,
quamuis male de Deo, & de hominum uita merito,
contumeliam inferat. Vos ipſi cogitare cum animis
ueſtris poteſtis; quotiens eorum, qui cum eſſent in
honore & poteſtate, opibus ſuis ad exemplum im-
probitatis & detrimentum Chriſtianæ Reip. abuſi
ſunt, eſſet mors nunciata, quid ſenſeritis, quid iudi-
caueritis, quid intra uos & cum cæteris fueritis lo-
cuti, cùm bene actum cum genere humano tunc eſſe
diceretis, quòd illa peſtis è medio eſſet ablata, cùm
laceraretur, qui dignus erat, omni genere maledi-
ctorum. Quod quanquam inhumanum eſt, & in
Chriſtiano homine nõ ꝓbabile: (miſericordia enim
potius, quàm iracundia eiuſmodi hominum mors
proſequenda eſt, quos grauius excipit ſupplicium,
idq; ſempiternum, quàm poſsit noſtra mens cogi-
tando

tando deſcribere) tamen interdũ lingua promptior cõſilio eſt, præſertim cùm iure uidetur poſſe uibrari. Sed ſi quos tales in memoria habetis, uidete quid inter illos, & Federicum Fregoſium Cardinalem interſit. Illi & ſe ipſos & ſua ſecum omnia, præter malam famã, ſuiq; nominis odium ſuperſtes apud homines in æternum interitum traxerunt. Federicus nihil omnino ſui, præter corpus amiſit, quod & ſuapte natura mortale eſt, & fragile, & in illo morbis & articulorum doloribus ualde erat infeſtum: præclara quidem illa, atque diuina, quæ ſplendebãt in eo, uirtutis, doctrinæ, iuſtitiæ, religionis, miſericordiæ in pauperes, in Deum ſummæ & ſingularis pietatis ornamenta, in quibus ipſe totũ ſeſe collocauerat, ex quibus ſemetipſum cenſebat atque expendebat, & ab omnibus nobis pendebatur, neq; mortua ſunt, illo ex hac uita abeunte, neq; poſſunt mori. Quicquid enim Deo acceptum eſt & gratum, nihil in eo iuris habere mors poteſt. Ille uerò cùm in hac uita uiueret, tanquam cœleſtis in terra ciuis, cùm in omnibus ſuis conſilijs atque factis nihil meditaretur, nihil præ oculis mentis haberet, niſi cœlum atq; Deum, non mortuus eſſe, cum ad eum ipſum quem cupiebat acceſſerit, ſed nunc demum uiuere uerè cœpiſſe eſt exiſtimandus: neque uerò uos ſentire aliter poteſtis. Quid enim eſt ex eo, quod mortuum poſsit dici? num uirtus, pietas, ſapientia, religio? At iſta ſunt maximè, quæ immortalem uitam faciunt, quæ

ſi mori

si mori ipsa possent, nihil omnino esset in omni natura rerum non caducũ & mortale. An mens eius, & sermo, & incredibilis in eo Græcarum, Latinarũ, Hebræarumq́ literarum scientia, quæ uiuit in scriptis, & uictura est? plura enim ille confecit sui quidẽ præstantis ingenij, sed multo magis pietatis, & religionis monimenta, ex quibus nos aliqua legimus: cùm is ortus familia nobilissima, magnis auctus honoribus, uersatus in rebus maximis cum autoritate & laude, cupidus uitæ quietioris in Gallicanum cœnobiũ, quod Christianissimi Regis dono regendũ, tuendumq́ susceperat, se contulisset, atq; inibi cum religiosis fratribus nonnullis nocturnã, diurnamq́ operam sacris literis impendens, conciones sæpe ad fratres hortandi, docendi, monendi, consolandiq́ causa, more maiorum, sanctissimorum quidem patrum & eruditissimorum, haberet. Quid amor, & beneuolẽtiæ studium admirabile, quo cuncti ubiq; homines illum prosequebantur, num mortuum est? immo uerò exarsit acrius, quàm unquam antea, nec patitur ferri sine lacrymis tanti uiri desideriũ. Quid honestissimorũ, modestissimorum, humanissimorumq́ morum, uel corporis eius tanquam domus, uel mentis atque animi tanquã domini, quasi quædam lauta preciosaq́ supellex, non ad usum & ornatum huius mortalis uitæ (quanquã & hanc illa uitã insigniter ornabat) sed ad fructum illius sempiternæ ab ipso comparata, potest'ne dici in eo interijsse?

D Nomi

Nominis uerò laus atque fama, tantarumq́ue in eo & tot uirtutum admiratio , moritura'ne unquam in commemoratione hominum est? Vos metipsi uidetis quanta celebritate sermonis, quanta commemoratione omnium , quantis cunctorum præconijs & laudibus in cœlum efferatur. Quæ igitur in sceleratis & improbis hominibus nunquam uixerunt , integritas, æquitas, continentia , bona fama , religio, hæc eadem in sanctis & pijs mori non possunt. Atque hæc quæ diximus priuatim ad ipsum pertinebant: quid quæ ex eodem ipso ad utilitatem publicam? Rexit olim Genuam patriam suam, urbem opulentam & nobilem , pollentem in Liguribus terrestri imperio , dominantem maritimo , unà cum fratre suo Octauiano Fregosio , magno quidem homine militaribus factis & honoribus, sed imprimis omnium quos nos unquam nouimus, humanitatis, iustitiæ , integritatisq́ue obseruantissimo , quo unquam Genua statu rerum, dum illa ciuitas illo modo, hoc est per factiones & partes gubernabatur , florentior fuit , cùm nihil præter æquum & bonum permitteretur cuiquam , nec in studijs & dissensionibus partium, quæ in illa Rep. asiduè uigebāt, qui particeps erat dominatus quicquam plus posset per uim & iniuriam , quàm aduersarius eius per ius & iudicium. Eo tēpore noster Federicus pyratas classe insequens traiecit in Africam, oppida aliquot ui cepit, hostium manus fugauit , redijt in patriam uictor , pòst com-

mutatione rerum in Italia facta, cõcessit in Galliam, maximoq; ibi apud Regem in honore fuit, reuertit in Italiam, & in Eugubinorum ciuitate, quam habebat sedem Sacerdotij sui, domicilium omnium suarum curarum, rationumq; constituit, quas ille in cœlo omnes, nõ in terra, fixerat: ibi ter intra aliquot annos magna caritate frumenti, & graui fame exorta, fructus suos omnes ecclesiasticos in subueniendo egenis & pauperibus effudit: quorum tamen pauperum omni tempore maximam curam sustinebat. Cumq; domi humilis & compositus, foris gloria famaq; indies cresceret, à Paulo tertio Pontifice Max. qui talibus uiris ecclesiasticos honores libenter solet demandare, ignarus, & absens in amplissimum ordinem S. R. E. Cardinalium est cooptatus: in quem ego quoq; paulo antè eiusdem beneficio Pontificis peruenerã. Ita ad nostras ueteres, plurimasq; amoris & necessitudinis causas cùm accessisset collegij coniunctio, essem autem absens quo tempore ille Romam se contulit, sperabam fore in reditu illuc meo, ut instauraretur inter nos, & renouaretur pristina illa duorum & XXX. annorum consuetudinis colloquior, familiaritatisq; suauitas, quæ communicationem omnium actionum, consiliorumq; haberet, præsertim cùm idem ambo de Rep. & sentiremus, & uellemus, ac mihi in hac spe & lætitia animi consistenti, nunciata eius mors, acerba mihi illa quidem, ipsi profecto prospera, & salutaris, omnia

in luctum & mœrorem commutauit. Mihi enim & Reip. occidit ille, non sibi. Et quanquam eius noua uita cœlestis, & sempiterna, ab ijs, qui illum amarũt, non gemitu, neque lamẽtis, sed gratulatione potius prosequenda sit: tamen omni mea perempta lætiore animi spe, ex charissimi hominis obitu non mœrere non possum. Hauseram equidem aliàs dolores huiusmodi ex amicissimorum mortibus, collegarumq́ præsertim, (quando ego ita natus, ita factus sum, ut quibus cum honoris & collegij societate sum iunctus, eos non modò hac specie publici cultus, atque officij, sed uera charitate, beneuolẽtiaq́ complectar) Acceperã, inquam, grauis alios dolores, ut ex morte Nicolai Germani Archiepiscopi Capuæ, hominis excellenter & integri, & prudentis: qui multarum rerum usu & ingenij ac uirtutis laude in hunc honorem ascenderat, fueratq́ mihi triginta annorum amicitia & familiaritate suauissimè coniunctus. ut ex Laurentij Campegij, qui cùm ingenio, gratia, autoritate, iuris scientia permultum in Curia, & in senatu nostro posset, eam sapientiam, easq́ uirtutum & fortunæ opes, quibus insigniter erat instructus, in consilijs pro Rep. capiẽdis, & in utilitatibus amicorum, clientumq́ procurandis libentissime erogabat, uir cùm commodus omnibus, tum præcipuam erga me beneuolentiã semper conseruans. Quid de te dicam Iacobe Simoneta? quem clarissimum iuris ciuilis, pontificijq́ consultum, maximarum & plu-

rimarum rerum integerrimum iudicem, grauissimum, præstantissimumq́ue Cardinalem nostra perspexit ętas, non'ne tu tibi me meipsum proposueras, quem eximio præ cæteris amore quodam complecterere? In quo ego tibi nõ eram ingratus: pari enim beneuolentia & dignitatem obseruabam tuam, & uoluntati erga me respondebam: quod uinculum amoris mors certe tua apud me nõ interrupit, cuius acerbitate & iniuria cætera nostræ amicitiæ officia sublata sunt. Sed ut in corpore male affecto posterior morbus antecedente semper grauior esse solet: sic hoc postremo uulnere penitus abiecti sumus. Ereptus enim est nobis is & amicus & uir, in quo omnia, quæ singulatim in cæteris habebamus, in unũ mihi collecta erant, non solũ officia uerissimæ amicitiæ, sed uitæ etiam nostræ solatia. Viximus aliquando unà, operam simul philosophiæ dedimus, fuimus in eodem aliquandiu contubernio, cùm ego ipsius domo & fortunis tanquam meis uterer, ille me sibi omnibus in rebus quam maximè uellet esse coniunctum: nec tamen hunc dolorẽ meum, quem ex obitu illius grauissimum cepi, palàm profiteri audeo, ne uidear mortui felicitati & gloriæ inuidere: cùm ille etsi nobis interijt, sibi tamen beatius uiuat. Habet enim ille iam Deum omnipotentem ante oculos, quem semper concupiuit: habet IESVM Christum Dominum nostrum, quem amauit: habet Spiritum sanctum, cuius antea monitis & intestinis

animi illuminationibus dirigi erat solitus. Atq; hæc habet, cōsecutusq́; est sua quidē fidelitate in Deum, & obedientia: sed multo magis eiusdem Dei benignitate & misericordia. Quapropter, quod agere soliti sumus fratres, quodq́; catholica ecclesia discipula semper Spiritus sancti optimo more sanctissimaq́; lege faciendum nobis præcipit, ut oremus pro fratribus, qui in Domino diem suum obierunt, pro hoc summo uiro & præstātissimo Cardinale cuncti faciamus. Siue enim ille iam in gloria est, seu proximus ad gloriā, sine dubio nostra illum aut iuuabit, aut delectabit oratio. Cui mori dum obtrectāt noui isti, & impij legum, & consuetudinum ecclesiasticarum reprehensores, non prauitate animi solùm, sed etiam sacrarum literarum ignorantia ostendunt se errare. Si enim Charitas ex uirtutibus tribus Christianis una nūquam excidit, non potest illius usum, atque fructum mors profecto corporis perimere. Charitate adipiscimur, ut filij Dei simus: charitate assequimur, ut fratres fratribus, & ferre inuicem opem, & accipere possimus. Quod inter nos, uel uiuentes, uel uita functos commercium, & Christianæ charitatis uinculum, si morte solueretur, falsum esset non excidere charitatē. Quod cùm falsum esse non possit, (non enim mentitur Spiritus sanctus) charitas eadem semper & ad Deum patrem, & ad fratres nostros, & in hac uita nobis permanet, & augetur in altera. Itaque & nos pro mortuis Deum utiliter ro-

gamus

gamus,& rogant eundem Deum mortui,qui in cœ-
lo uiuunt,pro nobis : quorum preces & ſupplicatiõ
ut nos cum ipſis unà cœleſtis uitę efficiat compotes,
Dei nos gratia excipiente & miſericordia,eun-
dem Deum fratres aſsidue rogemus, ac
deprecemur. Cui ſoli Deo Patri &
Filio & Spiritui ſancto honor,
& gloria & ex ęterno eſt,
& in omne ſeculum
ſemper erit.
Amen.

